Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.

Wien, 1794 Seite 2599

Quelle:
Copyright:



a Monaſterio habente tot perſonas, quot de ejus bonis commode ſuſtentari poſſunt, poſſe recipi Perſonam, quae de ſuis bonis voluntarie tantum offerat, quantum opus ſit ad ejus ſuſtentationem absque Monaſterii gravamine, neque id Conſtitutionibus Pontificiis adverſari. Hoc porro deinceps cum ſolutione argumentorum *Dionyſii*, tum novis rationibus firmatur, reduciturque ad X. *Concluſiones* unumque *Correlarium*, quorum veritati chirographis ſuis ſub finem adſtipulantur Theologiae Profeſſores *F. Petrus de noua eccleſia* O. Carm. *Arnoldus de cloetinghe*, *Bernardus de reyda*, *Gerardus de Monte*, *Jo. Tinctoris hoſpitalarius tornacen.* Legum doctor *Jacobus ſeger decanus eccleſie ſancti georgij*, *F. henricus de Piro Carthuſien. In colonia*, Decretorum doctores *henricus de Bemel* et *wilhelmus de leydis*, et Legum doctor *henricus rether*. Viros hos Academiae *Colonienſis* fuiſſe membra, totamque hanc controverſiam *Coloniae* agitatam fuiſſe poſt medium Sec. XV. cenſeo; *Henricus* enim *de Piro*, qui hic contra Sodalem ſuum *Belgam* militavit, diem clauſit a. 1473. De eo *Bibliotheca Belg. Foppenii* et *Colonienſis Harzbemii*. Prior etiam *Job. Tincto-ris*, altera *Henricum de Bemel* ſeu *Bomel* adtingit. De reliquis nihil reperio. Controverſiae toti adjecta eſt eleganti manu *Bulla vrbani pape de ſymonia vitanda. Ne in vinea domini.* Datum *rome aput ſanctum petrum ſecundo nonas Aprilis. Pontificatus noſtri anno primo.* Lege *ſeptimo*, qui fuit 1369. Extat Conſtitutio *Annal. Eccl. Odor. Raynaldi* T. XVI. p. 482.

IV. *fol.* 96. manu Sec. XIV. in membrana: *Tractatus de Interdicto.* Initium: *Quia per invencionem iurium cenſura eccleſiaſtica ad cobercendum malitias hominum ſuperuenit* &c. Mox ſe prodit Autor: *Ideo ego frater. ch. hoſpitum poſtulacionibus quorundam annuens* &c. Incertum *Cherubinus*, an *Chriſtophorus* &c. Tractatus ipſe in *Particulas* VII. diviſus eſt: *Primo qualiter interdictum deſcribatur. Secundo qualiter ſumatur. Tercio ob quas cauſas feratur. Quarto qui interdicere poſſint. Quinto quot ſint ſpecies interdicti. Sexto que tempore interdicti permittantur. Septimo que eius tempore prohibeantur.* Ad calcem: *Datum oſcubr* (fortaſſe Oſnabr.) *anno domini M° CCC° XXXII° In octaua beatorum petri et pauli apoſtolorum.*

*Si cernis quanto ſtudio ſub temate tanto*
*Te rogo pro tanto lege fructus quos ego planto.*

V. *fol.* 104. manu Sec. XV. partim in membr. partim in charta: *Hec ſunt ſcripta et determinata per venerabiles dominos doctores ſacre Theologie ac vtriusque Iuris nominatim infra expreſſos.*

*ſuper*